

quam esset thronus regum qui cum eo erant in Babel. ERANT, sub. captivi.

VERS. 55. — CALCEPALLIA, quibus utebatur in carcere, id est, dedit ei vestes dignas rege. PANEM (ci-

bum. Vid. Gen. 43, 25). CORAM EO, id est, in aula ejus. VERS. 54. — PER SINGULOS DIES EJUS. Ad verbum, rem diei in die suo. Hebraismus, pro, quotidie, sive per singulos dies ejus.

## CORNELII A LAPIDE GEMITUS AC CONCIONIS GESTORUMQUE JEREMIAE SYNOPSIS ET GEMMAE.

**CAP. 1.** — Audi, Jeremia, audi sacerdos, audi, propheta Domini. Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te.

A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui; quia puer ego sum.

Ego dedi te in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum super omnem terram.

Quid tu vides, Jeremia? virgam vigilantem ego video; bene vidisti; quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.

Quid tu vides? ollam succensam ego video, et faciem ejus à facie Aquilonis.

Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae.

**CAP. 2.** — Sanctus Israel Domino, primitiae frugum ejus.

Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt?

Obstrepescite, coeli, super hoc, et, portae ejus, desolamini vehementer.

Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.

Scito et vide, quia malum et amarum est reliquissse te Dominum Deum tuum.

A seculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam.

**CAP. 3.** — Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus; saltem amodo voca me: Pater meus, dixi virginitatis meae tu es.

Prævaricatrix Juda, et aversatrix Israel, mœchata es cum lapide et ligno.

Revertere, et dabo vobis pastores juxta cor meum; et pascent vos scientia et doctrina.

In tempore illo vocabunt Jerusalem solum Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini.

Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium?

Convertimini, filii, revertentes, et sanabo aversiones vestras.

**CAP. 4.** — Si abstuleris officinula tua à facie meâ, non commoveberis.

Et jurabis; Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in justitia.

Novate vobis novale; circumcidimini Domino; et auferite purgamenta cordium vestrorum.

Clamate: Ascendit leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit.

Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus, velociter aquis equi illius; vae nobis, quoniam vastati sumus.

Ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me; contritio super contritionem vocata est, vastata est omnis terra.

Quia sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt.

Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ.

Vox filiae Sion intermorientis, expandentisque manus suas, vae mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

**CAP. 5.** — Circuite vias Jerusalem, et querite in plateis, an inveniat virum facientem iudicium, et propitius ero ei.

Idcirco percussit eos leo de sylvâ; lupus ad vesperam vastavit eos: pardus vigilans super civitates eorum.

Stupor et mirabilia facta sunt in terrâ; prophetae prophetabant mendacia, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.

**CAP. 6.** — Hæc est civitas visitationis et vindictæ, quia omnis calumnia inventa est in medio ejus.

Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.

A minore usque ad majorem omnes avaritie student: Propheta et sacerdos faciunt dolum, dicentes: Pax, pax, et non erat pax.

Probatorem dedi te in populo meo robustum, et probabis viam eorum. Argentum reprobum vocato eos, quia Dominus projecit illos.

**CAP. 7.** — Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.

Tu ergo noli orare pro populo hoc, et non obstitas mihi; quia non exaudiam te.

**CAP. 8.** — Ossa principum, sacerdotum et civium, expandent ad solem et lunam quibus servierunt, et quæ adoraverunt.

Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint.

Milvus in cælo cognovit tempus suum; turtur, et hirundo, et cicinia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini.

**CAP. 9.** — Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filie populi mei.

Unusquisque se à proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam.

Deducat oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquas.

Quia ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis.

**CAP. 10.** — A signis cæli nolite metuere quæ timeant gentes, quia nec bene possunt facere, nec male.

Quis non timebit te, ô rex gentium? tuum est enim decus; in universis regnis nullus est similis tui.

Dii qui caelos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cælo sunt.

Deus noster est qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos.

Qui fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis.

**CAP. 11.** — Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus.

Quid est quod dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa?

Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.

Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in eâ, et combusta sunt fructeta ejus.

Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi.

Quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terrâ viventium.

Tu autem, Domine sabaoth, qui iudicis justè, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis; tibi enim revelavi causam meam.

**CAP. 12.** — Justus quidem tu es, Domine, si dispertem tecum; verumtamen justa loquar ad te.

Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur, et iniquè agunt?

Congrega eos quasi gregem, ad victimam, et sanctifica eos in die occasionis; quoniam dixerunt, non videbit novissima nostra.

Si cum pedibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?

Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam; dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus.

**CAP. 13.** — Jussu Domini amandi lumbare in Ephrate; et post dies plurimos tuli illud, et ecce computruerat; sic, ait Dominus, putrescere faciam superbiam Judæ.

Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel.

Plorans plorabit et deducet oculus meus lacrymam: quia captus est grex Domini.

Dic regi et dominatrici: Humilitamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.

Si mutare potest Æthiops pellers suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.

**CAP. 14.** — Expectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terrâ, et quasi viator declinans ad manendum?

**CAP. 15.** — Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum; ejectionem illis à facie meâ, et egrediantur.

Quò egrediemur? qui ad mortem, ad mortem; qui ad gladium, ad gladium; qui ad famem, ad famem; qui ad captivitatem, ad captivitatem.

Quis miserabitur tui, Jerusalem? quis ibi ad rogandum pro pace tuâ? tu reliquisti me, retrosum abiisti.

Vae mihi, mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ? omnes maledicunt mihi.

**CAP. 16.** — Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filie in loco isto.

Mortibus enim ægrotationum morientur, non plangentur, et non sepelientur.

Ecce ego auferam de loco isto vocem gaudii, vocem sponsi et sponsæ.

Verè mendacium possederunt patres vestri, vanitatem quæ eis non profuit.

**CAP. 17.** — Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.

Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.

Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.

Pravum est cor omnium et inscrutabile; quis cognoscat illud?

Expectatio Israel, Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te in terrâ scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

Et ego non sum turbatus te pastorem sequens, et diem hominis non desideravi, tu scis.

Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis.

**CAP. 18.** — Surge, et descende in domum figuli; ecce, sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu meâ, domus Israel.

Ecce ego figo contra vos malum.

**CAP. 19.** — Contere lagunculam testeam coram populo in valle filii Ennon, quia sic conteram populum istum et civitatem; in Topheth sepelietur.

**CAP. 20.** — Seduxisti me, Domine, et seductus sum; fortior me fuisti, et invaluisti.

Factus sum in derisum, tota die omnes subsannant me.

Maledicta dies in qua natus sum; dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.

**CAP. 21.** — Dic Sedecia regi: Ecce, ego do coram vobis viam vite et viam mortis.

Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, fame et peste; qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldaeos, vivet.

**CAP. 22.** — Dic Sellam filio Josie: Non revertetur hic amplius; sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur.

Dic Joakim: Vae qui aedificat domum suam in injustitia, et amicum suum opprimet, et mercedem ejus non reddet ei.

Non plangent eum: Vae, frater, vae, domine; sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.

Terra, terra, terra, audi sermonem Domini; scribe virum istum sterilem; nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solum David.

**CAP. 23.** — Vae pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascuae meae. Suscitabo super eos pastores, et pascent eos.

Ecce turbo Dominica indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.

Si occubabit vir in absconditis, et ego non videbo eum? numquid non caelum et terram ego impleo?

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram?

**CAP. 24.** — Quid tu vides, Jeremia? ficus; ficus bonas, bonas valde; et malas, malas valde.

Hae dicit Dominus: Sicut ficus haec bonae, sic cognoscam transmigracionem Juda in bonum, et reducam eos in terram hanc.

Et sicut ficus pessimae, sic dabo Sedeciam et reliquos qui remanserunt in Jerusalem, in vexationem et afflictionem, in opprobrium, parabolam et maledictionem.

**CAP. 25.** — Mittam Nabuchodonosorem servum meum, et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis.

Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, et propina de illo cunctis gentibus; ut dem eas in solitudinem, stuporem, sibilum et maledictionem.

Bibite et inebriamini, et vomite et cadite; neque surgatis a facie gladii quem ego mittam inter vos.

Domini de excelsi rugiet; et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam.

**CAP. 26.** — Dabo domum istam sicut Silo; et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae.

**CAP. 27.** — Hae dicit Dominus: O Jeremia, fac tibi vincula et catenas; et pones eas in collo tuo. Et

mittes eas ad regem Edom, Moab, Ammon, Tyri et Sidonis.

**CAP. 28.** — Hae dicit Dominus Hananiae: Catenas lignae contrivisti, et facies pro eis ferreas; jugum enim Nabuchodonosor ferreum posui super collum cunctarum gentium.

**CAP. 29.** — Hae dicit Dominus: Aedificate domos in Babylone; plantate hortos; accipite uxores, quia manebitis ibi septuaginta annis.

**CAP. 30.** — Vae, quia magna dies illa, nec est similis ejus, tempusque tribulationis est Jacob.

**CAP. 31.** — In charitate perpetua dilexi te, ideò atraxi te miserans.

Hinnite, contra caput gentium personate; salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel.

Audiens audivi Ephraim transmigrantem, castigasti me, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus.

Creavit Dominus novum super terram. Femina circumdabit virum.

**CAP. 32.** — Eme tibi, o Jeremia, agrum patruelis tui, qui est in Anathoth, quia haec dicit Dominus: Adhuc possidebuntur domus et agri et vineae in terra ista.

Heu, heu, heu, Domine Deus, fortissime, magne et potens; cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam: ut reddas unicuique secundum vias suas.

**CAP. 33.** — Erit mihi Jerusalem in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terrae.

Audietur in ea vox laetitiae, vox sponsi et sponsae; vox dicentium: Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in aeternum misericordia ejus.

**CAP. 34.** — Audi, Sedecia rex, capieris, et Babylonem introibis: non morieris gladio, sed in pace, plangent te, vae, domine.

Vos non audistis me ut predicaretis annum septimum libertatis unusquisque proximo suo, ideò ego praedico vobis libertatem ad gladium, ad pestem, ad famem.

**CAP. 35.** — Posui coram Rechabitis scyphos plenos vino, et dixi: Bibite vinum; qui responderunt: Non bibemus.

Propterea haec dicit Dominus: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

**CAP. 36.** — Hae dicit Dominus: Tolle, o Jeremia, volumen libri, et scribes in eo omnia verba quae locutus sum tibi, adversum Israel et Judam.

Non erit ex Joakim qui sedeat super solum David, et cadaver ejus projicietur ad aestum per diem, et ad gelu per noctem.

**CAP. 37.** — Hae dicit Dominus, Chaldaei a Jerusalem recedentes ut pugnent contra Pharaonem redibunt, capientque urbem, et succendent eam igni.

**CAP. 38.** — Hae dicit Dominus: Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, fame et peste; qui autem profugerit ad Chaldaeos, vivet.

**CAP. 39.** — Nabuchodonosor capit Jerusalem, Sedeciam excæcat, filios ejus et nobiles occidit, Jeremiam liberat.

Dic ad Abdemelech: Liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.

**CAP. 40.** — Nabuzardan ait Jeremie: Si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, ponam oculos meos super te: sin autem, habita apud Godoliam: quem praeposui rex Babylonis civitatibus Juda.

**CAP. 41.** — Ismael occidit Godoliam, et populum capit: insequitur eum Johanan, et populum liberat, cum quo metuens Chaldaeos, fugere cogitat in Aegyptum.

**CAP. 42.** — Johanan et principes consulunt Jeremiam; quibus ille: Manete in Judaea, et obedite Chaldaeis, omnes enim qui ingredientur Aegyptum, morientur gladio, fame et peste.

**CAP. 43.** — Contemunt illi et fugiunt, secumque Jeremiam pertrahunt in Aegyptum. Jeremias in Taphnis prophetat: Veniet Nabuchodonosor, et percuet terram, delubra, et deos Aegypti.

**CAP. 44.** — Quare, o Judaei, provocatis Deum sacrificando diis alienis in terra Aegypti?

Ecce ego tradam Pharaonem Ephraem in manu quarentium animam illius.

**CAP. 45.** — Hae dicit Dominus ad Baruch: Dixisti, vae misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo.

Ecce quos aedificavi, ego destruo: et tu quæris tibi grandia? dabo tibi animam tuam in salutem.

**CAP. 46.** — Hae dicit Dominus adversum exercitum Pharaonis Nechao: Praeparate scutum, state in galeis, polite lanceas, induite vos loriceis.

Vitula elegans atque formosa Aegyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei. Post haec habitabitur sicut in diebus pristinis.

**CAP. 47.** — Hae dicit Dominus contra Palaestinos: Venit calvitium super Gazam, conticuit Ascalon.

O mucro Domini usquequo non quiesces! quomodo quiescet cum Dominus praeeperit ei, ibique condixerit illi?

**CAP. 48.** — Ad Moab: Fugite, salvate animas vestras; et eritis quasi myrica in deserto.

Date florem Moab, quia florens egredietur; maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.

**CAP. 49.** — Ad filios Ammon: Ulula Hesebon quo-

niam vastata est Hafi; Melchom capietur, sacerdotes ejus et principes ejus simul.

Parvulum dedi te, o Edom, in gentibus, contemptibilem inter homines.

Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem laetitiae?

Succendam ignem in muro Damasci, et devorabit moenia Benadad.

**CAP. 50.** — Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach.

Gladius ad Chaldaeos ait Dominus et ad habitatores Babylonis, gladius ad divinos ejus, gladius ad fortes ejus, gladius ad equos ejus, et ad omne vulgus ejus.

Fugite de medio Babylonis, et salvete unusquisque animam suam: quoniam tempus ultionis est à Domino: vicissitudinem ipse retribuet ei.

**CAP. 51.** — Calix aureus, Babylon in manu Domini inebrians omnem terram: de vino ejus liberent gentes, et ideò commotae sunt.

Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrupcis universam terram: evolam te de petris, et dabo te in montem combustionis.

Sanctificate contra Babylonem gentes, reges Mediae, duces ejus, cunctamque terram potestatis ejus.

Inebriabo Chaldaeos, ut sopiantur, et dormiant somnium sempiternum.

Deducam eos quasi agnos ad victimam, quasi arietes cum boedis.

Laudabunt super Babylonem caeli et terra, et omnia quae in eis sunt: quia ab Aquilone venient ei praedones.

Qui fugistis gladium, venite, recordamini procul Domini et Jerusalem ascendat super cor vestrum.

Dic Saraie: Cum vengeris in Babylone, leges omnia verba libri hujus, librumque projecies in medium Euphratem; et dices: Sic submergetur Babylon, et non consurgat à facie afflictionis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

## CATALOGUS AUCTORUM

CUM ABBREVIATURIS, QUIBUS EXPRIMUNTUR.

Aben Ezra	AE.	Arnoldi Booti Animadversiones sacrae	Boot. anim.
Ainsworthus	A.	Brugensis in variantia S. S. loca	Bru.
Anglicae Annotationes	Ang.	Buxtorfii vindiciae Veritatis Hebraicae contra Capellum	Buxt. vind.
Bayanus	Bay.		
Belgicae Annotationes	Belg.	Calovius	Cal.
Bochartus de Animalibus S. S.	BA.	L. Capellus	Cap.
Bocharti Geographicae pars prima, sive Phaleg pars secunda, sive Canaan	B P.	Thomas Cartwrightus	Car.
	B C.		

Christophori Cartwrighti Mellificium	Hebraicum.	Josephus	Jo.
	Cartw.	Junius	Jun.
Castalo	Ca.	R. David Kimhi	K.
Coeceius	Coc.	Corn. à Lapide	La.
L. de Dieu	Di.	Lightfoot	Li.
Drusius	D.	Lyra.	L.
Drusii Animadversa	D. an.	Malvenda	Ma.
Observationes sacrae	D. ob. s.	Mariana	Mar.
Miscellanea	D. Misc.	Jos. Medus	Med.
De Quaesitis per epist.	D. qu.	Menochius	Me.
Proverbia	D. Pror.	Mercerus	Merc.
Durhamus	Dur.	Mois	Mu.
Estius	E.	Munsterus	M.
Fulleri miscellanea	Ful. misc.	Osiander	Os.
Gatakeri Manuscripta	Ga.	Pembellus	Pem.
Gatakeri Adversaria	Ga. adv.	Pineda.	Pin.
Cinnus	Ga. Cin.	Piscator	Pi.
Gejerus	Gej.	Quidam	Q.
Genebrardus	Gen.	Rabbini	R.R.
Ghislterius	Chi. vel Ghis.	Rabbi Salomon, qui et Jarchi	R. S.
Giggeius	Gig.	Del-Rio	Rio.
Glassius	Glas.	Rivetus	Riv.
Glassii Grammatica	Glas. gram.	Salazar	Sal.
Rhetorica	Glas. reth.	Sanctius	San.
Grotius.	G.	Scultetu	Scult.
Hammondus	Ham.	Tirinus	T.
Hebraei	He.	Note Vatabli ad tigurina Biblia	Tig. not.
Hebraismus	His.	Vatablus	V.
Hieronymus	Hi.		

## Versiones.

Anglicana	Ang.	Ariae Montani	Mo.
Aquila	Aq.	Munsteri	M.
Arabica	Ar.	Osiandri	Os.
Belgica	Belg.	Pagnini	P.
Chaldaica	Chald. vel Targ.	Piscatoris	Pi.
Chald. Onk.	Onk.	Septuaginta	s.
Chald. Jon.	Jon.	Synnachi	Syn.
Castalonis	Ca.	Syriaca	Sy. vel Syr.
Gallica sive Genevensis	Gal. vel Genev.	Theodotionis	Th.
Junii	Jun.	Tigurina	Ti.
Junii et Tremelli.	J. T.	Vulgata Latina	Vulg.
Malvenda	Ma.		

## SYNOPSIS CRITICORUM ALIORUMQUE COMMENTATORUM IN JEREMIAE THRENOS, SEU LAMENTATIONES.

### Prolegomena.

De auctore nemo dubitat plus, cum in Bibliis praefixum sit Jeremiae nomen (San.). Valde fuit aptus ad tradenda et repraesentanda quae affectus excitant Jeremiae. Apparet id et ex scriptis ejus propheticis, et inde quod in

Josia regis mortem lessum fecit, ut didicimus 2 Paralip. 35, 25 (G.). Hi Threni iidem sunt qui in funere Josiae conditi dicuntur 2 Paralip. 35. Ita statuerunt Jos., Antiq. 1, 6, et Chaldaeus, et Hieron., et Rabanus et Mald. (San.). Sed crassus hic error est (Calv.). Multa hic narratur quae Josiae non conveniunt. Neque eo tempore omnes hominum ordines ita vexati sunt, aut temerata sacra, etc., ut hic refertur. Compositus ergo est hic liber, cum gens Judaea vel obsessa fuit, vel abducta (San.); post urbem excisam, et populum in exilium abductum. Deflet hic cladem gentis suae (Calv.); idque tam patheticè, ut cum hoc libro comparata tragica Senecae, etc., vix umbra sint et ludi. (Proleg. in Bib. max.) Argumentum horum *Threnos*, ut et Septuaginta in capite annotarunt, excidium urbis, et deportatio populi (G.). Etsi hic liber non unam tantum calamitatem Judaeorum deflet, sed multiplices, inde à Josiae temporibus usque ad excidium regni et populi: non dubium est tamen (ut auctor est Esdra, 2 Paral. 35, 25) quin occasione mortis Josiae à propheta fuerit conscriptus, et Ecclesiae traditus. Nam cum vidit propheta (qui prius de regni excidio prophetaverat) Josiam occisum, etc., ex istis malorum gravissimorum primordiis lamentum conscripsit, quo tum res praesentes, tum etiam successuras alias, comprehendit, ut praemonita Ecclesia tunc respiceret, etc. (Jun.). Hic quoque liber poeticis addendus: scriptus est enim metris (G.). Certum est, poeticis constare numeris, quantum nihil de antiqui Hebraeorum poesi certum sit (San.). Per alphabetum hic digesta sunt omnia, excepto ultimo capite: haec tamen differentia, quod primum, secundum et quintum (lege, quartum, alioqui nec veritas nec sensus constat), capita singulis litteris singulos dant versus; caput tertium, tertios (G.). Factum hoc, forsitan, ut facilius disceretur, et memoria teneretur (V.). Notandum autem in 2, 5 et 4 capite inversum ordinem litterarum  $\Xi$  et  $\Upsilon$ , et  $\Xi$  contra morem praecedere: cuius rei non aliam possum conjectare rationem, quam quod Chaldaei alio ordine sunt usi quam Hebraei; sicut et Arabes aliter digerant litterarum ordinem. Itaque primo capite loquitur Jeremias ut Hebraeus; sequentibus, ut Chaldaeorum subditus (G.). Sed haec conjectura parum probabilis est, quod Chaldaei, Hebraeos litteras omnes et solas retinentes, ceteras omnes parili ordine recensent cum Hebraeis (Calor.). Est hic liber apud Hebraeos sine nomine, nisi quod à primâ ipsius dictione nominant *Eka*, id est, *Quomodo*. In commentariis tamen appellant eum *Kinath Lamentationes* (V. ex M.). A Septuaginta autem dicitur *Threnoi*, quod lamentationes, seu fetus significat (V.).

## CAPUT PRIMUM.

Et factum est, postquam in captivitate redactus est Israel, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta fens, et plaxit lamentatione hac in Jerusalem; et amaro animo suspirans, et ejulans, dixit:

1. N ALEPH. Quomodo sedet sola civitas plena populo? Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo.

2. BETH. Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.

3. GIMMEL. Migravit Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

4. DALETH. Vie Sion lugent, eò quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portae ejus destructae, sacerdotes ejus gementes: virgines ejus squaefactae, et ipsae oppressa amaritudine.

5. HE. Facti sunt hostes ejus in capite: inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus: parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

6. VAV. Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus: facti sunt principes ejus velut arietes non inventientes pasceam: et aberunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

7. ZAIN. Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suae, et praeparationis omnium desiderabilium suorum, quae habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxi-

## CHAPITRE PREMIER.

Après que le peuple d'Israël eut été mené en captivité, et que Jérusalem fut demeurée déserte, le prophète Jérémie fondant en larmes s'assit, et fit ces lamentations sur Jérusalem, soupirant dans l'amer-tume de son cœur, et disant avec de grands cris:

1. ALEPH. Comment cette ville si pleine de peuple est-elle maintenant assise solitaire? La maîtresse des nations est devenue comme veuve; la reine des provinces a été assujétie au tribut.

2. BETH. Elle n'a point cessé de pleurer pendant la nuit; et ses yeux sont trempés de larmes; de tous ceux qui lui étaient chers il n'y en a pas un qui la console; tous ses amis l'ont méprisée, et sont devenus ses ennemis.

3. GIMMEL. La fille de Juda s'est retirée en d'autres pays à cause de la servitude insupportable qui l'affligeait; elle a demeuré parmi les nations; mais elle n'y a point trouvé de repos; tous ses persécuteurs se sont saisis d'elle dans son extrême douleur.

4. DALETH. Les chemins de Sion pleurent, parce qu'il n'y a plus personne qui vienne à ses solennités; toutes ses portes sont détruites; ses prêtres ne font que gémir; ses vierges négligent leur parure; et elle est plongée dans l'amer-tume.

5. HE. Ses ennemis se sont élevés au-dessus d'elle; ceux qui la haïssaient se sont enrichis; parce que le Seigneur l'a condamnée, à cause de la multitude de ses iniquités; ses petits enfants ont été emmenés captifs devant l'ennemi qui les chassait.

6. VAV. Tout ce que la fille de Sion avait de beau lui a été enlevé; ses princes sont devenus comme des bœufiers qui ne trouvent point de pâturages; et ils ont marché languissants devant l'ennemi qui les poursuivait.

7. ZAIN. Jérusalem s'est souvenue des jours de son affliction, de ses préparations, et de tout ce qu'elle avait eu dans les siècles passés de plus désirable, lorsque son peuple tombait sous la main en-